



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 8. Omne gaudium terræ, finis vile, cæli, æternitas pretiosum facit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

cipietur, immēsa quadam accumulatione, infinitorum bonorum, in infinitum atque æternum, simul ac velut vna collectione fruendorum.

## §. VIII.

*Omne gaudium terra finis vile, cæli æternitas pretiosum facit.*

Disce hinc, ô quisquis es, seu juuenis, seu senex; diues & pauper; nobilis & ignobilis, agnoscere terræ vilitatem, & rerum terrenarum fluxarumq; vanitatem: disce pretium cæli & cælestium dignitatem æstimare, mundōq; tandem contempto, dicere: *Heu quam sordet terra, cum cælum afficio!* Qui enim tanta, in terris, mala, & tantilla, tamque caduca bona esse videt; in cælo autem omnia stabilia, fixa, æterna, summa, & summè bona reperiri intellexit, vel fatuus est, & excors, vel ista illis anteponit. Immò illa omnia nullius esse momenti judicat, si cum istis comparentur. Quidquid enim transit, postquam transiit, perinde est, ac si nunquam extitisset. Posse centum jugera, mille agros, immò mille regna; posside Crœsi opes; habe Xerxis potentiam, & omnem Persarum apparatus; omnem Sardanapali luxum; acquire quid-

quidquid est honorum & titulorum; quid  
quid gloriæ & dignitatum; nata in delitijs,  
volutare in voluptatibus, etiam longa æ-  
tate; fruere denique cælo in terris; si tamen  
postea hæc amittas, si jugera, si regna à te  
auferantur; si opes alius tollat; si poten-  
tiam eripiat; si titulos extinguat; si de gra-  
du dignitatis deiiciat; si sensus & valetudo  
destructa voluptates excludat, quid ex om-  
nibus illis vtilitatis, quid delectationis es  
percepturus? transierunt. desierunt. non  
existunt amplius. commodi nihil, mœroris  
multum reliquerunt. Imò tristissima me-  
moriā recordaberis, te bonis gaudijsque  
illis omnibus esse spoliatum. Quæ recor-  
datio tanto te magis affliget ac exagitabit,  
quanto bona illa amissa tibi visa fuerunt  
maiora ac meliora, quantoque chariora  
extiterunt. Quò enim dulcior est alicuius  
rei possessio, eò acerbior fit eius amissio.  
Eapropter, si ceteræ caussæ omnes deessent;  
hæc sola sufficeret, ad rerum instabilium  
amorem abijciendum; quia scilicet neces-  
sariò deserendæ sunt, & non sine ingenti  
dolore deseruntur. At diuina, cælestia, at  
æterna, nullo tempore, nullo casu amit-  
tuntur; neque amitti queunt. Quamob-  
rem-

rem sunt rebus his caducis infinites me-  
liora atque optabiliora, vel hoc solo etiam  
capite, quia durabiliora.

§. IX.

*Gaudioram terrenorum vanitas ad aeternum  
duratura nos gaudia inuitat.*

Huic durationi accedit magnitudo bo-  
norum, quæ inibi obtinget. Quantis enim  
spatijs cœlum illud latè circumductum ter-  
tarum angustias superat; tanta excedit im-  
mensitate gaudium beatorum, huius mun-  
di illecebras. Res, quæ hîc pariunt delecta-  
tionem, non simul, sed sensim, & successi-  
uè, nec sine interruptione, & plurimarum  
molestiarum admixtione, sua cōmoda ad-  
ferunt; quorum cùm alterū succedit, prius  
euaneſcit. At, in cælo, totum illud aeterhū  
bonum, electis promissum, electorū est, &  
ab electis in aeternum totum simul possi-  
detur. Nam quamuis non fuerimus ab aeterno, Leonard.  
tamen poſſidentes Deum, fruemur in eo etiam Less. li. 4.  
aeternitate; quatenus infinitis retro ſaculis ex- de diuin.  
titit, mente nos retrorsum, & antroſum ex- Perf. c. 4.  
tendentess; ſicut & tota immensitate fruemur,  
in immensum illud pelagus nos immergentes,  
vnus enim erimus ſpiritus cum Deo. Sensum  
igitur & gustum habebimus diuinorum, ſicut

Nn

& ipſe